Universitätsbibliothek Paderborn

Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...

Libris Qvatvor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conuersione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1670

81. Virginem docet Deiparae, scitu necessaria ad bapt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10757

Visual Library

geniis curæ eſſe, piiſque functorum animis pro quibus annuatim mortualium die, res diuina ſolenni ritu in ea fiebat. Verum omiſſis nunc pluribus quæ naturam tranſcendunt prodigiis, Neophytorũ præ fiduciæ affatim conceſſis, pauca narrabo maioris miraculi, beneficio Dei prorſus ſingulari ad animorũ ſalutem edita. Differebatur ethnico baptiſmus, quod errorum ſuorum optimè conſcius, anteactæ vitæ aſſuetudine improba teneretur; huic erat filius quem plus oculis amabat, hunc cernens morbo ad extrema perductum, vſúque ſenſuum intercepto animam agentem, & ipſe præ dolore, ſemiuiuus, diſcruciari, angique morte fillij, ſed æterna magis, quàm temporaria, vt qui ſacro adhuc careret baptiſmate. In hoc ergo rerum præcipiti, motus diuinitus, moribundo ad aurem ſe applicat, eúmque de nomine inclamans; tantiſper ait, ô fili ſuſtine; craſtinum expecta; manè aderit nobis Pater, qui te baptiſmo expiatum tranſmittet in vitam immortalem; peris alioqui, & in ignes raperis ſempiternos, ex quibus nulla te vel tua alterius opera vnquam eripiet; cui velut reuiuiſcens puer; omninò genitor, craſtinum, & Patrem, & baptiſmum ab eo, vitámque beatam præſtolabor. Adeſt poſtero die Pater, puerum baptizat, & poſt horæ quadrantem, oculos claudit morienti.

81. *Virginem docet Deiparæ, ſcitu neceſſaria ad bapt.*

Baptiſmum item ardenter flagitans, virgo annos nata vix quatuordecim, differebatur à parentibus Chriſtianis, quòd tàm craſſi foret ingenij, vt fidei ſymbolum nullo ſtudio poſſet menti defigere. Mœſta repulſæ pudore, ac damno puella, ſecedit in domeſticum ſacellum; illic vt poterat, dùm precatur, matronam videt adorabili maieſtate, & formæ præſtantia diuinam, cuius blanda voce erigitur; ne metue filia, quin ad me propiùs accede, & fidenter ſequere præeuntem. Inde verbatim puellæ ſymbolum recitare, puella verbatim repetere, quod vbi abſoluit, abi nunc, ait, & tuis edicito ne pergant tibi de cœtero baptiſmum negare. Illa curſu parentibus, viſa, & audita enuntiat, & recitatione ſymboli expedita probat, nec dubitatum eſt ab cœli Regina edoctam, cui erat, & ipſa, parentum imitatione maximè addicta.

Et anum 80 ann. mirab. conuertit.

Eiuſdem Reginæ Deiparæ munus fuit, anus octogenariæ ad Chriſtum acceſſus, cui præter ætatem ſuperſtitionibus incoctam, obſtabat ſtulta ſed pertinax meritorum ingentium apud vitæ futuræ Deos, opinio; quàm à ſe ſceleſtiſſimis Bonziis altè imbiberat. Annnos nata non plus octodecim, maritum amiſit, & dedignata tunc ſe feminam eſſe ne in hac vita ſub viri poteſtate; in alia Diis eſſet exoſæ; vidua permanſit. Vendunt enim maximis pretiis Bonzij ſingraphas, quarum arcana vi, feminæ mutato ſexu renaſcuntur in maſculos, & hæc præterea longè cariùs ab iis emerat obſignatam fidem Dei Præſidis tranſmigrationum, qua ſpondebat iuratus effecturum ſe ſtatim poſt obitum, vt in Mandarinum naſceretur, quo delirio amens mulier velut propediem futuro, ſtola muliebri abiecta, Mandarini cultu incedebat, monſtroſa viſu, ſed auaritiæ Bonziorum ſancta; totaque penitus in adoratione idolorum. Reſpexit infelicem anum, pia, & miſericors

virgo,